

XVIII Schola aestīva studiōrum classicōrum
Opaviae annō MMX

**De colloquiīs scholasticīs eōrundemque
ad Latīnitātem trādendam ūtilitāte**

*N. B. Textūs quī sequuntur plērumque facillimī sunt neque necesse est eōs omnēs in antecessum praeparāre.
Nēmō enim ad quidquid faciendum cōgētur. Ad scholam igitur venīre nē dubitāveris!*

Georgius A. Čepelák

INTERPRETAMENTA sive EPMENEYMATA

quae cōnscrīpsit

grammaticus quīdam Rōmānus
("Pseudo-Dositheus" quī vocātur)

anno CCLXXX p. C.

Περὶ συναναστροφῆς

Καθημερινή συναναστροφή

De conversatiōne.

Cotīdiāna conversatiō.

1. Ἡμέρα. ἥλιος ἀνέτειλεν. ἡλίου
ἀνατολή. φῶς. φάος. ἥδη φωτίζει.
ἡώς. προ φάους. Πρωί ἔγρομαι.
Ἠγέρθη ἐκ τῆς κλίνης. κλίνη.
ἐγρηγόρησεν ἔχες ἐρί πολύ. ἔνδυσόν
με. δὸς ἐμοὶ ὑποδήματα καὶ τοὺς
πίλους καὶ ἀναρξίδας. ἥδη ὑρεδέθην.

2. Ἐνεγκε ὕδωρ πρὸς χεῖρας. ὕδωρ.
Κόγχη. χεῖρες ῥυρασαί εἰσιν.
ῥύπος. πηλός. σήρων. λιπός.
λελιπωμένον. νίρτω. ἥδη ἐνιψάμην
τὰς ἐμὰς χεῖρας καὶ τὴν ὄψιν.
καταμάσσω. ἀκμὴν οὐ κατέμαξα.
Προέρχομαι. ἔζω ἐκ τοῦ κοιτῶνος.
ἔρχομαι. ἀπέρχομαι εἰς τὴν σχολήν.

3. Πρῶτον ἀσπάζμαι τὸν
διδάσκαλον, ὃς ἐμὲ ἀντησπάσατο.
Χαῖρε, διδάσκαλε. Χαίρετε
συμμαθηταί. Μαθηταί. Συμμαθηταί,
τόπον ἐμοὶ δότε ἐμόν. Βάθρον.
ὑποπόδιον. δίφρος. σύναγέ σε.

1. Diēs. Sōl ortus est. Sōlis ortus.
Lūx. Lūmen. Iam lūcet. Aurōra.
Ante lūcem. Māne surgō. Surrēxit dē
lectō. Lēctum. Vigilāvit herī diū.
Vestī mē. Dā mihi calciāmenta et
ūdone et brēcās. Iam calciātus sum.

2. Adfer aquam manibus. Aqua.
Concha. Manūs sordidae sunt.
sordēs. lūtum. Sapō. Ūctum.
Ūctātum. Lavō. Iam lāvī meās
manūs et faciem. Tergō. Adhūc nōn
tersī. Prōcēdō forīs dē cubiculō.
Veniō. Vādō in scholam.

3. Prīmum salūtō magistrum, quī mē
resalūtāvit. Avē magister. Avēte
condiscipulī. Discipulī.
Condiscipulī, locum mihi date
meum. Scamnum. Scamellum. Sella.
Dēnsā tē.

DE SERMONE COTIDIANO

[*INTERPRETAMENTA dīcuntur librī trēs ā
quōdam grammaticō Latīnē et Graecē
cōnscrīptī saeculō secundō p. C., quorum tertius
est dē sermōne cotīdiānō. In sermōnibus quae
sequuntur verba Graeca omīssa sunt*]


p. C. = post Chrīstum (nātum)

o-mittere = nōn dīcere/scribere,
dēmere (↔ addere)

II. Discipvlvs (II)

Ante lūcem ēvigilāvī dē somnō. Surrēxī dē lectō
et vocāvī puerum. Iussī 'aperīre' fenestram.
Aperuit citō.


Sēdī. Poposcī calceāmenta et
caligās. Calceāvī mē.



Poposcī aquam ad faciem. Lavō prīmum manūs,
deinde faciem lāvī. Accēpī lintheum. Tersī
manūs, deinde brachia et faciem.

Dēposuī dormītōriam.

Accēpī tunicam ad
corpus. Cīnxī mē. Induī
superāriam albam.
Suprā induō paenulam.



Prōcessī dē cubiculō cum paedagōgō et cum
nūtrīce salūtāre patrem et mātrem.

Ambōs salūtāvī et ōsculātus sum. Et sīc
dēscendī dē domō.

Eō ad scholam. Introī. Dīxī: "Avē,
magister!" et ipse mē osculates
est et resalūtāvit.



Porrēxit mihi puer meus tabulās, thēcam, stilum.

ē-vigilāre = vigilāre incipere
puer : servus
citō *adv* = celeriter
caliga -ae f = calceus altus
calceāre sē = calceōs induere

lintheum -ī n = vestis quā corpus
tergētur



dē-pōnere ↔ induere
dormītōria -ae f (< dormīre) =
vestis dormītōria
cingere cīnxisse cīnctum; c. sē =
cingulum induere
superāria -ae f = vestis quae
super aliam geritur (: toga)
paenula -ae f = pallium
paedagōgus -ī m = servus quī
discipulum comitātur
salūtāre : ut salūtārem, salūtātum
ambō -ae -ō = duo simul (et ūnus
et alter), uterque; *acc* -ōs -ās
-ō

intro-īre -īvisse = intrāre

por-rigere = trādere manum
extendendō

dē-scribere
 exemplar -āris *n* = quod
 exempli causā scriptum est
 ut + *perf* = postquam
 ē-mendāre = menda corrigere
 ē-discere = discere ad
 reddendum
 prius tē (*abl*) prius quam tū
 iussū + *gen*: iussū magistrī =
 magistrō iubente, ut iubet
 magister
 pusillus -a -um = parvus
 elementa /ōrum *n pl* = litterae
 singulae (A B C ... L M N
 ...)
 dī-numerāre = numerāre
 (dīvidendō)
 sub-doctor /ōris *m* = quī sub
 magistrō docet
 classis -is *f* = numerus
 discipulōrum quī simul
 docentur
 dictātum -ī *n* = quod dictātur
 verum *in pedēs* partītus sum

magister nōs dīmīsīt

mūtō *vestem*
 cārica -ae *f* = *ficus* sicca
 cāseus -ī *m*



prānsus : postquam prandī

per-legere

Meō loco sedēns <tabulam> dēleō. Dēscribō ad
 exemplar. Ut scripsī, ostendō magistrō. Ēmendāvit.
 Iubet mē legere. Librum accēpī. Lēgī lēctiōnem
 meam. Ēdiscēbam interpretāmenta. Reddidī.

Sed statim <dīxī condiscipulō>: “Dictā mihi!”

Dictāvit condiscipulus. “Et tū” inquit “dictā mihi!”

Dīxī eī: “Redde prīmum!”

Et dīxit mihi: “Nōn vīdistī, cum redderem prius
 tē?”

Et dīxī: “Mentīris! Nōn reddidistī.”

“Nōn mentior!” – “Sī vērum dīcis, dictō.”

Inter haec iussū magistrī surgunt pusillī ad
 elementa, et syllabās dīnumerāvit eīs ūnus dē
 māiōribus.

Aliī ad subdoctōrem ōrdine reddunt, nōmina
 scribunt, versus recitāverunt.

Et ego in prīmā classe dictātum accēpī.

Dēclīnāvī genera nōminum. Partītus sum versum.

Ut haec ēgimus, dīmīsīt ad prandium. Dīmīssus
 vērō redeō domum.

Mūtō. Accipiō pānem
 candidum, olīvās, cāseum,
 cāricās, nūcēs. Bibō aquam
 frīgīdam.

Prānsus revertor iterum ad
 scholam. Inveniō magistrum
 perlegentem, et dīxit:
 “Incipite ab initio!”



III. SALVTATIO

[Iūlius prōcēdēns amīcō suō Gāiō occurrit.]

Gāius: “Salvē, domine!”

Iūlius: “Salvus sīs simper, amantissime! Quōmodo
 rēs tuae? omnia bene?”

Gāius: “Quōmodo dīi volunt.”

Iūlius: “Quid agis?”

Gāius: “Modo agēbam, nunc autem vacat mihi”

Iūlius: “Sī vīs, venī mecum!”

Gāius: “Quō?”

Iūlius: “Ad amīcum nostrum Lūcium. Vīsītēmus
 eum.”

Gāius: “Quid enim habet?”

Iūlius: “Aegrōtat.”

Gāius: “Ā quandō?”

Iūlius: “Intrā paucōs dies incidit.”

Gāius: “Ubi manet?”

Iūlius: “Nōn longē. Sīs, ambulā!”

[Iūlius et Gāius ad domum Lūciī ambulant]

Iūlius: “Haec est, putō, domus eius.”

Gāius: “Haec est. Ecce, ōstiārius.”

Iūlius: “Interrogā eum, sī possīmus ingredī et
 vidēre dominum eius.”

Et ille dīxit: “Quem quaeritis?”

Gāius: “Dominum tuum. Dē salūte eius vēnimus.”

Ōstiārius: “Ascendite!” ...

salūtātiō -ōnis *f* < salūtāre

amantissimus -a -um =
 cārissimus
 quōmodo = sicut
 vacāre = vacuum esse; vacat
 mihi = tempus vacuum (ōtium)
 mihi est

vīsītāre = vīsere

quid habet? = quōmodo sē
 habet?

in-cidere -disse < in *i*. + cadere;
 (in *morbū*) *i*. = aeger fierī;
 morbus -ī *m* = mala valētūdō
 manēre = dubitāre
 longē = procul
 sīs = sī vīs

interro

(interrogāre) sī : num, an
 ingredī -gressum = intrāre
 ille: ōstiārius

dē salūte : dē valētūdine

Maturīnī Corderiī (1479–1564) COLLOQVIA SCHOLASTICA

Iacōbī Pontānī SJ (1542–1626) PROGYMNASMATA LATINITATIS

III. Euntēs in lūdum.

Persōnae: Antōnius, Marcellus.

Antōnius. Sēcūrusne, et timōre expeditus in phrontistērium vādis Marcelle?

Marcellus. Quid tibi istā percūctātiōne vīs? Explicā dum, nōn enim satis intelligō.

Antōnius. Fābor ergō apertius. Contextuistī epistolam, quam ā nōbīs hodiē requīret Praeceptor?

Marcellus. Contextuī, et descrīptam portō mēcum.

Antōnius. Praecurrit alacritās tua meam tarditūdinem. ...

1 TIMORE EXPEDITUS: Quemadmodum apud probātōs scrīptōrēs legimus *cūrīs expeditus*, et *cūrīs expeditis*, *cūrīs solūtus* et *solūtis*, solvere animum cūrā, solvere cūrā, ita licēbit dīcāmus, *timōre expeditus*, *timōre expeditō*, etc. Possunt etiam prōnōmen accūsandī cāsū, et praepositio interpōnī. *Expeditē sē arumnīs*, *expeditē sē ab occupātiōnibus*. Dīcimus item *expeditē negotium*, *nōdum*, etc.

2 IN PHRONTISTERIUM: ā verbō φροντίζω cōgitō, meditor, commentor, dēflectitur φροντιστήριον, locus ad commentandum, meditandum, cogitandum. Locus nempe, in quō cōgitātiōnēs et sēnsa nostra explicāmus, atque ad audientēs prōferimus. Accommodātur ad scholam: ibi sīquidem Magistrī discipulīs sua, et auctorum, quōs interpretantur cōgitāta mentemque explānant διδασκαλείον quoque dīcī potest, ā docendō: διδάσκω namque est doceō. σχολή est ōtium et cessātiō. Hinc schola, quod ā caeterīs negotiīs omnibus vacuī atque līberī, in eā unīs tantum studiīs impertīrī nōs dēbeāmus. Eōdem vocābulō disputātiōnēs et contrōversiae inter doctōs agitātae, et quaestiōnum dēnique nōn levium tractātiōnēs significantur. Gellius cap. 26. lib.1. *diatribam* nōminat, Graecā item vōce: ob studium scīlicet operamque līberālem, quā tempus discendō atque audiendō cōnsūmimus. Latīne *audītōrium*, Sueton. Item *lūdus*, quoniam generātim locus in quō quis exercētur, sīc dīcitur. Lūdus gladiātōrius, lūdus mūsicus, lūdus fīdicīnus, lūdus palaestrae. Ac meritō quidem lūdus, quandō, ut 3. Off. Cicero ait, *discendī voluptās potius est, quam labor*. Addimus interdum, literārius. Hinc ludum aperīre. Cic.1. Tuscul. loquēns de Dionysiō: *quod parum Latīnē quīdam: professiōnem suscipere*.

superiōribus: praeteritis

Persōnae: Sulpitius, Rogērus

S.: “Unde tibi māter mīsīt litterās?”

R.: “Rūre; ex vīllā nostrā.”

S.: “Quandō rūs profecta est?”

R.: “Superiōribus diēbus.”

S.: “Quid agit rūrī?”

R.: “Cūrat nostra negotia rūstica.”

Persōnae: Garbīnus, Furnārius

G.: “Quod est tibi *domicilium*?”

F.: “Paterna *domus*.”

G.: “Unde nunc venīs?”

F.: “*Domō*.”

G.: “Ubi prandistī?”

F.: “*Domī*.”

G.: “Ubi cēnābis?”

F.: “*Domī vestrae*, ut spērō.”

G.: “Quī scīs?”

F.: “Pater ipse tuus hodiē mē invītāvit.”

G.: “Ubi illum vīdistī?”

F.: “*Domī Varrōnis*.”

G.: “Quod illīc erat tibi negotium?”

F.: “Pater mē mīserat nūntiātum aliquid.”

G.: “Ubi es cubitūrus?”

F.: “*Domī frātris*.”

G.: “Quid habēs negotiī cum frātre tuō?”

F.: “Dīxit sorōrī nostrae sē velle convenīre mē.”

G.: “*In quā domō* habitat?”

F.: “*In quādam conductīciā*.”

G.: “Eho, *nūllamne* habet propriam *domum*?”

F.: “Habet quidem, sed eam locat quibusdam inquilīnīs.”

G.: “Locat igitur *domum propriam*, et condūcit *aliēnam*?”

F.: “Scīlicet, ut ex mē audīs.”

domicilium - īī n= locus ubi
habitātur, domus
paternus -a -um < pater

prandēre -disse = merīdiē cibum
sūmere
quī...? = quōmodo?
invītāre = hospitem domum
suam vocāre
Varrō -ōnis m

conductīcius -a-um = prō quō
solvitur mercēs
locāre = ūtendum dare
mercēde acceptā
inquilīnus -ī m= quī domum
conductīciam habitat
condūcere = ūtendum
accipere mercēde solūtā

familiāris -e = quī ad familiam
pertinet

Erasmī Roterodāmī (1469–1536)

COLLOQVIA FAMILIARIA

II. Percontandī fōrma – bene valēre

satisne
prosperus -a -um = secundus,
fēlix
perpetuō = semper

hāctenus = usque ad hoc
tempus

faxint : faciant
istuc = istud
suprā modum = valdē
oppidō = valdē
perquam = valdē

Ge. Satin' rēctē valēs? Salvane rēs? Satin' salvae rēs?
Fuistīne semper prosperā valētūdine?

Li. Prosperrimā, gratia superīs. Ego Deī beneficiō
perpetuō bellissimē valuī. Semper prōsperā valētūdine
sum ūsus. Hāctenus bonā valētūdine fuī, faustā,
incolumī, fēlicī, prosperā, secundā, integrā, basilicā,
athlētīcā, pancrātīcā valētūdine.

Ge. Faxint superī, ut isthuc sit perpetuum ac
propriū. Laetus isthuc audiō. Voluptātem mihi
nūntiās. Est isthuc mihi audītū perquam iūcundum.
Sermōnem istum ex tē audīre suprā modum gaudeō.
Isthuc haud invītus audiō. Oppidō laetor, isthuc audīre
ex tē. Ut idem semper faciās, optō.

XV Colloquium profānum

Vendendī et emendī fōrmulae

locāre = prō pretiō ūtendum
dare

con-dūcere = mercēde
addūcere ad aliquid
faciendum

licērī licitus sum = pretium
pūblicē offerre rei emendae

licitārī = licērī
ad-dīcere
quantī-cumque = quantī libet

Aug. Quantī istum agrum in singulōs annōs locās?
[...] **Respondēbimus:** Vīgēnīs librīs francicīs. Hui,
nimiō locās. Immō locāvī ōlim multō plūris. At egō
tantī nōn condūcam. Sī condūxeris minōris, peream.
Immō iam vīcīnus tuus Chremēs agrum obtulit, ac
rogat. Quantī? Tantīdem, quantum tu petis. At multō
meliōrem. Mentīris. Faciō, ut solent, quī licentur. Tū
ipse tantī possidē. Quid licēris, vel licitāris, quum nihil
sīs ēmptūrus? Quantīcumque addīxeris, solvam
optimā fidē.


Alterum exemplum

2. Congrum istum, Syra, quantī vendis? Decem obolīs.
Nimiō, turpissima. Immō minimō; nūlla tibi vendet
minōris. Ēmoriar, sī nōn tantī mihi cōnstat, aut certē
nōn multō minōris. Mentīris, venēfica, quoniam duplō
vīs vendere, aut triplō. Et centuplō, sī queam: sed fatuōs
nōn inveniō. Quid sī liciter tē ipsam? Quantī aestimās
tē? Ut lubet. Quantī mē licēris? Quantī indicās tē? Dīc,
quantī tē taxās? Quantī tē ipsum īnscrībīs? Decem
scūtātīs. Hui, tantī? Eho, an tū minōris mē aestimās?
Egō ōlim nōn semel plūris in ūnam noctem sum
conducta. Crēdō: at nunc nōn paulō minōris aestimō,
quam piscem. Abī in malam rem, gāneō; tantīdem tē
aestimō, quantī tū mē. Quī tē terūnciō ēmerit, nimiō
ēmerit. Aut plūris emar; aut nōn vendar. Sī magnō
vēnīre cupis, lārvā tibi opus est: nam rūgae istae nōn
sinunt, ut cārius vendāris. Eī, quī tantī mē nōlit, nōn
sum vēnālis. Egō nē culmō quidem tē ēmerō. Cōnstīti
plūris.

Tertium exemplum

3. Auctiōnī hodiernae interfui. Ain' tū? Licitātus sum
vectīgālia. Quantī tandem? Decem mīlibus. Hui, tantī?
Nē mīrēris; erant, quī multō plūris licitārentur, paucī,
quī minōris. Cui tandem addicta sunt vectīgālia?
Chremētī, uxōris tuae summō et māximō amīcō. Sed
dīvīnā, quantī sunt addicta. Decem. Immō quīndecim.
Deus bone, egō mihi hominem ipsum cum tōtā familiā
dīmidiō addictum nōlim. At ille uxōrem tuam duplō
ēmptam cupit.

...



congrus -ī m = piscis marīnus
nimiō, minimō pretiō

nummus scūtātus

fēmina venēfica : quae venēna
parat

gāneō -ōnis m = vir dēlectant
rēbus quae tantum deditus



culmus -ī m

auctiō -ōnis m (< augēre) = locus
ubi rēs pūblice licitandō
vēneunt et emuntur

decem mīllibus nummōrum

“DOMI NON SUM”

M. Tullius Cicerō: DE ORATORE, II. 276

P. Cornēlius Scīpiō Nāsīca -*ae*
m, cōsul a. 191 a C.

‘domī nōn esse *dominum*
suum’
sentīre sēnsisse sēsum

: *nōnne* ego cognōscō... ?

i-impudēns /entis *adi* = sine
pudōre, audāx
ancillae tuae crēdidī *dīcentī*
‘...’

[Nāsīca] cum ad poētam Ennium vēnisset eīque ab
ōstiō quaerentī Ennium ancilla dīxisset ‘domī nōn
esse’, Nāsīca sēnsit illam dominī iussū dīxisse et
illum intus esse; paucīs post diēbus cum ad
Nāsīcam vēnisset Ennius et eum ad iānuam
quaereret, exclāmat Nāsīca domī nōn esse. Tum
Ennius “Quid? ego nōn cognōscō vōcem” inquit
“tuam?” Hīc Nāsīca “Homō es impudēns: ego cum
tē quaerem ancillae tuae crēdidī tē domī nōn
esse, tū mihi nōn crēdis ipsī?”

Erasmī Roterodāmī (1469–1536)

COLLOQVIA FAMILIARIA

domesticus -a -um (< domus)
= domī factus
confābulātiō -ōnis *f* (< con +
fābulārī) = colloquium

Nēmōne hūc prōdit?
prōd-īre -iisse -itum =
prōcēdere
ef-fringere < ex + frangere
familiāris -is *m/f* = amīcus
lepidus -a -um = urbānus;
lepidum caput (: homo)

III. Domestica cōnfābulātiō

Persōnae Petrus, Mida, Iodocus (puer).

Pe. Heus, heus puer. Nemōn' hūc prōdit?

Mi. Hic, opīnor effringet forēs. Familiārem oportet

esse. Ō lepidum caput! Quid adfers, mī Petre?

Pe. Mē ipsum.

Mi. Nae tu rem haud magnī pretiī hūc attulisti.

Pe. Atquī magnō cōnstītī patrī meō.

Mi. Crēdō plūris, quam revendī possīs.

Pe. Caeterum Iodocus estne domī?

Mi. Incertus sum; sed vīsam.

Pe. Quīn tū potius abī, et rogā ipsum, an velit nunc
esse domī.

Mi. Abī tū potius, sīsque tibi ipsī Mercurius.

Pe. Heus Iodoce, num es domī?

Io. Nōn sum.

Pe. Impudēns, nōn ego audiō tē loquentem?

Io. Imō tū impudentior. Nūper ancillae tuae
crēdidī, tē nōn esse domī, et tū nōn crēdis mihi
ipsī?

Pe. Aequum dīcis, par parī relātum.

Io. Equidem ut nōn omnibus dormiō, ita nōn
omnibus sum domī. Tibi posthāc semper erō.

nē adv = certē, profectō

atquī = at tamen
magnō *pretiō* cōnstītī

crēdō *tē* plūris *constitisse* quam
quō pretiō revendī possīs :
re-vendere = iterum vendere
cēterum

rogā ipsum *Iodocum*

Mercurius (: nūntius)

immō



cochlea -ae *f*

aequum -ī *n* = quod
rēctum/iūstum est
pār parī relātum *est*
pār paris = ūnum et alterum, duo
eiusdem generis
tū mihi vidēris

quī *adv* = cūr
 perpetuō *adv* = semper
 latitāre = latēre (semper)
 prōrepere = manibus et
 genibus prōdīre
 secus *adv* = aliter
 sūtor -ōris *m* = homō quī
 calceōs cōnficit
 iūgiter *adv* = semper
 dē-sidēre = manēre
 situm contrahere : morbō
 afficī
 pūblicum -īn = locus pūblicus,
 multitūdō hominum
 cohibēre -uisse -itum =
 prohibēre
 sūdum est *caelum*
 sūdus -a -um = serēnus
 in-vītāre = hortārī
 de-ambulāre = hūc illūc
 ambulāre
 blandīrī -itum esse = suāviter
 allicere
 sī prōdeambulāre libet
 prō-deambulāre = forās
 prōdīre et ambulāre
 re-cūsāre = dīcere sē nōlle
 vidētur hōs ūtendum *esse*
caelō
 ascīscere < ad + scīscere =
 arcessere
 congerrō -ōnis *m* = homō quī
 aliquid cum aliquō agit
dummodo dīcās
 Hugō -ōnis *m* | Alardus -ī *m*
 nūgō -ōnis *m* = quī nūgās dīcit
 quid sī Alardum *asciscāmus*?

Pe. Sed tū mihi vidēre cochleae vītā agere.

Io. Quī sīc?

Pe. Quia perpetuō domī latitās, nec usquam
 prōrepis. Nōn secus, atque claudus sūtor, iūgiter
 domī dēsidēs. Tū tibi domī situm contrahis.

Io. Est, quod agam domī; forīs nihil est negōtī;
 et sī quid esset, tamen hoc caelum mē diēs
 aliquot ā pūblicō cohibuisset.

Pe. At nunc sūdum est, et invītāt ad
 dēambulandum. Vidē, ut blandītur.

Io. Sī prōdeambulāre lubet, nōn recūsō.

Pe. Plānē vidētur hōc ūtendum coelō.

Io. Ascīscendus est ūnus aut alter congerrō.

Pe. Fīet, modo dīcās, quōs velīs.

Io. Quid sī Hugōnem?

Pe. Haud multum interrest inter Hugōnem et
 nūgōnem.

Io. Age, placet.

Pe. Quid sī Alardum?

Io. Homō minimē mūtus est. Quod auribus
 dēminūtum est, lingua pensat.

Pe. Sī vidētur, Nēvium adiungēmus.

Io. Sī quidem dabitur illīus cōpia, nunquam erit
 fābulārum inopia. Placent cōnfābulōnēs;
 superest, ut locum dispiciās amoenum.

Pe. Ego vērō tibi locum ostendam, ubi nec
 nemoris umbram, nec prātōrum smarāgdinum
 virōrem, nec fontium vīvās scatebrās
 dēsīderābis. Dīcēs dignam Mūsīs sēdem.

Io. Magnificē pollicēris.

Pe. Nimium affīxus es librīs. Nimium assidēs
 librīs. Immodicō studiō tē ipsum macerās.

Io. Mālim studiō macrēscere, quam amōre.

Pe. At nōn ideō vīvimus, ut studeāmus: sed ideō
 studēmus, ut suāviter vīvāmus.

Io. Mihi vērō vel immorī chartīs dulce est.

Pe. Equidem immorārī probō, immorī nōn probō.
 Ecquid voluptātī fuit haec dēambulātiō?

Io. Mē quidem vehementer oblectāvit.

dē-minuere -uisse -ūtum =
 minuere
 pensāre = aequum facere
 sī vidētur = sī placet; ad-iungere
 = arcessere

cōpia -ae *f* = occāsiō, potestās
 (cōpia est/datur = licet)
 cōnfābulō -ōnis *m* = homō quī
 cum aliquō fābulātur
 dispicere = intuērī, invenīre

nemus -oris *n* = silva
 prātum/-ulum -ī *n* = campus cum
 herbā
 smarāgdinus -a -um = viridis
 viror -ōris *m* < viridis |
 smaragdīnus = viridis
 vīvus -a -um = fluens
 scatebra -ae *f* = locus ex quō
 magna cōpia aquae celeriter
 effluit
 dīcēs sēdem dignam *esse* Mūsīs
 af-figere -xisse -xum < ad-figere
 ad-sidēre < ad + sedēre
 immodicus = nimius
 macerāre = fatīgāre
 macrēscere = tenuis (ob parum
 cibī), gracilis fierī

vel = etiam
 im-morī + *abl* (< in + morī) =
 morī in aliquā rē/aliquō locō
 im-morārī + *dat* (< in + morārī)
 = morārī in aliquā rē/aliquō locō
 ecquid = num quid, num
 dē-ambulātiō < dē-ambulāre

oblectāre = dēlectāre

EXERCITIA

Coniunge synonyma:

cōnfābulārī	fatīgāre
nae	gracilis fierī
secus	dēlectāre
perpetim	certē
immodicus	nimius
macerāre	colloquī
oblectāre	semper
iūgiter	semper
macrēscere	aliter

Quid inest in locō amoenō? Ēlige.

prāta viridia - mare turbidum - imbrēs perpetuī - scatebrae fontium -
nūbēs in caelō - umbrae arborum - nīvēs albae

Corrige menda.

Pe. “Heus, heus puer. Nemōn' hūc prōderit?” **Mi.** “Hic, opīnor effringēbit forās. Familiārem oportet esse. Ō lepidum caput! Quid adferis, mī Petre?” **Pe.** “Mē ipsum.” **Mi.** “Nae tu rem haud magnō pretiō hūc afferīvistī.” **Pe.** “Atque magnō cōnstītī patrī meō.” **Mi.** “Crēdō plūrī, quam revendī possīs.” **Pe.** “Cēterum Iodocus estne in domō?” **Mi.** “Incertus sum; sed vīsēbō.” **Pe.** “Quīn tū potius abī, et rogā ipsum, an vellet nunc esse in domō.” **Mi.** “Abī tū potius, sīsque tibi ipsī Mercurius.” **Pe.** “Heus Iodoce, num es domō?” **Io.** “Nōn sum.” **Pe.** “Impudēs, num ego audiō tē loquentem?” **Io.** “Imō tū impudentior. Nūper ancillae tuae

crēdīvī, tē nōn esse domum, et tū nōn crēdis mihi ipsī?” **Pe.** “Aequum dīcis, par parī relātum.” **Io.** “Equidem ut nōn omnīs dormiō, ita nōn omnīs sum domō. Tibi posthāc semper erō.” **Pe.** “Sed tū mihi vidērī cochleae vītā agere.” **Io.** “Quī sīc?” **Pe.** “Quia perpetuum domī latitās, nec usquam prōrepis. Nōn secus, atque claudus sūtor, iūgiter domī dēsīdēs. Tū tibi domī situm contrahis.” **Io.** “Est, quod agam in domō; forīs nihil est negōtium; et sī quid fuisset, tamen hoc caelum mē diēs aliquot ā pūblicā cohibuisset.” **Pe.** “At nunc sūdum est, et invītāt ad dēambulāre. Vidē, ut blandītur.” **Io.** “Sī prōdeambulārī lubet, nōn recūsō.” **Pe.** “Plānē vidētur hoc ūtendum coelum.” ...

Pōne in ordine, ut totam fabullam legere possis. (Dein tu ipse fabullam scribe, reponens tempus praeteritum ubi nunc est tempus praesens.)

Midās iānuam aperit.
Petrus Iodocum ad dēambulandum invītāt.
Iodocus ait sibi dēambulātiōnem valdē placuisse.
Iodocus respondit Petrum anteā quoque negāvisse sē esse domī.
Petrus dē Iodocō interrogat an sit domī.
Petrus dīcit nōs studēre ut suāviter vīvāmus.
Petrus venit et forēs paene effringit.
Puerī ambulantes dē congerrōnibus ascēscendīs loquuntur.
Petrus respondet Iodocum semper domī latitāre.
Iodocus negat sē domī esse.
Petrus Iodocum impudentem esse dīcit.
Iodocus ait sē nōn omnibus esse domī.
Iodocus dīcit sē mälle studiō quam amōre macrēscere.

Ioannis Fontānī (1545–1615) *HORTVLVS PVERORVM*

lūsus -ūs *m* < lūdere
re-creāre -āvisse -ātum =
dēlectāre



cerasum -ī *n*

dī-ruere ↔ aedificāre
extruere ↔ diruere



turris -is *f*

papae! *interi* : heu!
violāre -āvisse -ātum =
rumpere
foedus -eris *n* = lēx inter duōs
statūta (: composita)
hostilis -e < hostis



tuba -ae *f*

clangor -ōris *m* = strepitus
quiēs -ētis *f* = tempus
quiēscendī
in utramque aurem dormīre :
dormīre quiēte attonitus -a -
um = stupēns
castellum -i *n* = locus munitus
scrobis -is *m* = os parvum in
solo
iaculārī -ātum esse = iacere
ingenuus -a -um = liberō patre
nātus
meditārī -ātum esse = cōgitāre
ad-modum = valdē
sphaera -ae *f* = pila
aliās *adv* = aliō tempore
monopodium -i *n* = genus
lūsūs

De lūsū Monopodiū

Persōnae: Petrus, Philippus, Balthasar

Petrus: Sed quōnam lūsūs genere recreābimur?

Philippus: Mihi quidem mīrum in modum
placet lūdere pār impār cerasīs aut dīruere
extruereque turrēs.

Petrus: Papae! Vīsne violāre foedus paucīs ante
diēbus compositum? An hostīlium tubārum
clangōrem nōbīs nūntiās? Ego omnia in
tranquillitāte et quiēte posita esse exīstimābam
ac in utramque aurem dormiendum.

Philippus: Ha, ha, hae, quam in rē rīdícula
attonitum sese ostendit: turrēs vocō mōre Gallicō
castella nucum.

Petrus: Relinquāmus hōs lūsūs Gallicīs puerulīs,
ego mālō in scrobem iaculārī.

Balthasar: Absit, nam is lūdus vīlis est, sordidīs
proprius nec decet ingenuōs, praetereā magistrō
nōn admodum grātus.

Petrus: Nesciō quem sphaerae lūdum ē Belgicā
meditātus est praeceptor noster.

Philippus: Hoc fortasse aliās, nunc monopodiō
utendum.

Balthasar: Id omnes dēlectābit. Sed quis erit
monopūs?

Petrus: Sortiāmur. Bene sors, ut optābam,
cecidit: Philippō necesse est esse monopodī.

Philippus: Agite, eā tamen lēge ut caput
līberum sit et intāctum. Fugite, nam quī tangētur
in meās partēs succēdet.

Petrus: Bone Deus, quam agilis est et singulārī
vēlōcitāte nōs prōsequitur.

Balthasar: Vidētur eī proprium ita ambulāre ut
Indīs monopodibus.

Philippus: Tetigisti aurem, Petre, cum ea sit in
capite: nōn impūne ferēs, modo tē assequar.
Hem, humerum percussī.

Petrus: Ō gravem ictum! Quid? Geminās
verber: Ego aufugiō antequam convolent
ūniversī.

Balthasar: Petre, accurre mēcum dīgladiātūrus.

Petrus: Nunquam recūsāvī monomachīam.
Hem, attigī scapulās.

Balthasar: Ego fugā meae salūtī cōnsulam.

Petrus: Cedo ad tempus.

monopūs -odis *m* = quī ūnō pede
ambulat

sortīrī -ītum esse = sorte ēligere
sors -ortis *f* = fortūna
in-tāctus -a -um = nōn tāctus
succēdere -cessisse -cessum (in
partēs alicuius) : sequī in
locum alicuius
prō-sequī
agilis -e = celer et validus
singulāris -e = ēgregius
vēlōcitās -ātis *f* < vēlōx

Indī monopodēs : gēns quae ūnō
pede ferēbātur ambulāre
nōn im-pūne (*adv*) ferēs: nōn
sine poenā manēbis
assequī = capere
hem! *interi*
ictus -ūs *m* < verber
gemināre -āvisse -ātum = bis
facere
con-volāre = ūnā currere
dīgladiārī = gladiō pugnāre
accurre *digladiātūrus* : ut
dīgladiēris (*finālis*)
attingere -tigisse < ad + tangere
recūsāre -avisse -ātum = dīcere
sē nōlle
monomachīa -ae *f* = pugna inter
duōs
scapulae -ārum *f pl* = pars
superior umerī
salūs -ūtis *f* = valētūdō
cōnsulere -uisse -sultum + *dat* =
cūram habēre dē aliquā rē
cēdere = rēcēdere, abīre
ad tempus = paulisper

EXERCITIA

I. Ex sententiis in colloquiō, invenī quō dē lūsū agātur.

in scrobeum iaculārī — pār impār — turrēs exstruere et dēstruere —
monopodium — lūsus cum sphaerā

- Puerī rūsticī et indoctī, secundum magistrī sententiam, hōc modō lūdere solent: _____.
- Hoc genus lūsus ex Galliā vēnit, ad quem opus est nucibus: _____.
- Magistrō puerōrum hic lūsus placet, quem ex aliīs gentibus didicit: _____.
- Ūnus ē puerīs aliōs tangere dēbet, ut in eius partēs succēdant: _____.
- Puerī indoctī hōc modō lūdere nōn possunt, nam necesse est numerāre: _____.

II. Dic utrum vērae an falsae sint hae sententiae.

- Persōnae huius colloquiī in Belgicā habitant.
- Dum scholam audiunt, puerī iam de lūsū cōgitant.
- Philippus amīcīs nūntiat Gallōs bellum gerere in patriam.
- Lēgēs in urbibus etiam foedera appellantur, nam urbēs ex multīs hominibus cōstant.
- Omnibus puerīs in scrobeum iaculārī lūsus turpis vidētur.
- Puerī sorte lūsum ēligunt.
- In lūsū monopodiī ūnus ē puerīs ūnō pede ambulante aliōs tangere debet.
- Puer quī tangitur ā monopode, verber in capite accipit.
- Philippus optimē ūnō pede ambulāre valet.
- In fine, omnēs puerī inter sēsē dīgladiantur.

III. Ēlige ūnum ex verbīs et reponē in līnēā.

compōnere – exstruere – impūne – attonitus – dīgladiārī – ingenuus – iactārī –
salūs – in duās aurēs – singulāris – violāre – ictus – meditārī – admodum –
recūsāre – agilis – pernicitās – hostīlis – cēdere – prōsequī – intāctus – assequī –
castellum – turris – clangor

Fuit ōlim rēx fortissimus et _____ (= nōbilis), sed _____ (= valdē) cupidus
atque superbus, quī in suō _____ (= domus regālis) iussit _____ (= aedificārī) duās celsās _____, quae ferē ad caelum ūsque vidēbantur
perventūra. Itaque omnēs aliī rēgēs, cum illās vīdissent, _____ (= stupentēs) ac
dēteritī tantā rē, _____ (= valētūdō) cōnsulentēs ad eum convolāvērunt foedus
_____ (= ut facerent). Rēx igitur ab omnibus timēbatur ideōque _____ (= tranquillē) dormiēbat. Sed cum _____ (= ēgregius) cupiditās huic rēgī esset
propria, mox foedera _____ (= frangere) et bellum in cēterōs rēgēs gerere
_____ (= cōgitāre). Brevī enim iussit omnia oppida propinqua expugnārī; aliēnī
vērō exercitus, quī adhūc ingentēs turrēs mīrābantur, tam valdē timēbant ut,
_____ (= sonus) tubae audītō, statim in fugam _____ (= abīre). Rēx ergō
gaudēbat quod exercitus suus _____ (= sine vulnere) vincēbat et _____ (= sine poena) omnēs aliās terrās _____ (= capere). Ūnus tantum ex ūniversīs
rēgibus aufugere _____ (= negāre), nam suō _____ (= validus et celer)
exercituī cōnfidēbat. Ideō cum exercitus _____ (= hostium) magis magisque
appropinquāret, mīlitēs suōs hortātus est ut fortiter _____ (= pugnāre). Ortō
igitur proeliō, aliī tēla _____ (= prōicere), aliī vērō magna _____ (< vēlōx)
concurrunt et _____ (= verberibus) hostēs fatīgant. Rēx vērō superbus, quī sibi
nimis cōnfidēbat, cum exercitum vincī vidēret, fugā suae salūtī cōnsulit rūsusque
in castellum sē recēpit. Attamen alter rēx ūnā cum suīs victōribus mīlitibus, quī
eum _____ (= sequī), non iam altissimīs illīs turribus dēterrēbantur...

Io. Ludovīcī Vīvis (1492–1540) EXERCITATIONES LINGVAE LATINAE

mātercula -ae *f* < māter
germānulus -ī *m* < germānus;
(frāter) germānus -ī *m* =
frāter eōdem patre et eādem
mātre nātus
sororcula -ae *f* < soror
propitius -a -um = favēns
optāre = precārī
sōspitāre = salvum facere
ē-vehere
virtūs -ūtis *f* = ea quae in
animō habet vir bonus
dulcēdō -inis *f* < dulcis
quid? = quōmodo?

placidus -a -um = quiētus, nōn
turbātus
Chrīstō grātia agenda est:
utinam hoc proprium tibi
velit esse.
ad mediam noctem = circā
mediam noctem
excitātus sum dolōre capitis
perditus -a -um = miser
quā parte capitis labōrās? =
quae pars capitis tibi dolet?

brechma -atis *n* = pars anterior
capitis, frōns

redormīvī; re-dormīre = rūrsus
dormīre incipere
amplius *adv* comp = plūs
re-spīrāre; exanimāverās
ex-animāre -āvisse -ātum =
animum alicuius cruciāre
ientāculum -ī *n* = cibus
mātūtīnus
caniculus -ī *m* < canis
fēstīvus -a -um = iūcundus

Prīma salūtatiō

Persōnae: Puer, Māter, Pater, Isabellula.

Puer Salvus sīs mi Pater, salvē mea mātercula,
precor vōbīs fēlicem hunc diem germānulī,
propitium vōbīs optō Chrīstum sororculae.

Pat. Mī fili, sōspitet tē Deus, ēvehat ad ingentēs
virtūtēs.

Mat. Servet tē Chrīstus, mea lūx. Quid agis mea
dulcēdō? quid valēs? quōmodo nocte hāc
quiēvistī?

Puer Rēctē valeō, et placidē dormīvī.

Mat. Chrīstō grātia: proprium hoc velit tibi esse.

Puer Ad mediam tamen noctem excitātus sum ē
dolōre capitis.

Mat. Mē perditam, et miserrimam! Quid nārrās?
Quā parte capitis?

Puer Ad brechma.

Mat. Quamdiu?

Puer Vix octāvā parte hōrae: posteā redormī, nec
sēnsī amplius.

Mat. Respīrāvī, nam exanimārās mē.

Puer Bene sit tibi Isabellula, parā mihi
ientāculum. Rusciō, Rusciō hūc, canicule

fēstīvissime: ēn, ut caudā adūlātur, ut sē in
posteriōrēs pedēs ērigit! quōmodo habēs?
quōmodo valēs? Heus tū, adfer pānis bucceam
ūnam aut alteram, quam eī dēmus: vidēbis lūsus
scītissimōs. Nōn ēsurīs? nihilne ēdistī hodiē?
profectō plūs est in cane istō intelligentiae, quam
in illō mūliōne crassō.

Pat. Tūlliōle mī, libet mihi tēcum paulisper
cōnfābulārī?

Puer Quid, mī pater? nam nihil mihi accidere
potest suāvius, quam tē audīre.

Pat. Hic tuus Rusciō est bēlua, an homō?

Puer Bēlua, ut crēdō.

Pat. Quid tū habēs cūr sīs homō, nōn ille? tū edis,
bibis, dormīs, ambulās, cursitās, lūsitās: haec ille
omnia.

Puer Atquī ego sum homō.

Pat. Quōmodo id cognōscis? quid tū nunc habēs
plūs quam canis? Sed hoc interest, quod ille nōn
potest homō fierī: tū potes, sī vīs.

Puer Obsecrō, mī Pater, effice id prīmō quōque
tempore.

Pat. Fīet, sī eās quō eunt bēluae, redeunt hominēs.

Puer Ibō pater multō libentissimē, sed ubi id est?

Pat. In lūdō litterāriō.

Puer Nulla est in mē ad rem tantam mora.

ut...! = quam...!
adūlārī : movēre caudam et
circum dominum currere
ē-rigere = tollere; sē e. = surgere
quōmodo tē habēs?
bucca -ae *f* = pars alicuius cibī
(pānis)
lūsus -ūs *m* < lūdare
scītus < scīre
intelligentia -ae *f* < intellegere |
plūs intelligentiae est in eō =
plūra intellegit
mūliō -ōnis *m* = homō quī cūrat
mūlōs



mūlus -ī *m* = iūmentum nātum ex
asinō et equā

libet : placet, licet
con-fābulārī (< cum + fābulārī) =
colloquī
bēlua -ae *f* = fera, bēstia
cursitāre = saepe currere
lūsitāre = saepe lūdare
haec ille omnia *facere potest*
atquī = at tamen
ob-secrāre = rogāre, orāre
prīmō quōque tempore = quam
prīmum
et unde redeunt hominēs

multō + *sup* = longē; *m.*
libentissimē = longē
libentissimē
lūdus litterārius = lūdus, locus
ubi puerī litterās discunt

Pat. Nec in mē. Isabellula, audīn'? Dā huic jentāculum in cistellā.

Isab. Ecquid nam?

Pat. Frūstum pānis butyrō illitum, vel ficūs āridās, aut ūvās passās ō obsōniō, sed īnsōlātās (:īnsōlātās, ad sōlem exsiccātās). Nam alterae illae viscōsae īnficiunt puerōrum digitōs, et vestēs, nisi mālīt cerasa aliquot, vel pruna aurea, et oblonga: īnsere brachiolum cistulae, nē excidat.

1 Ad Brechma, brechma, tis; sīve bregma, pars anterior capitis, synciput; a Brecō Graecō, quod est pluō, et irrigō; haec enim pars māximē hūmida, et tenera esse solet praecipuē īnfantibus: Gaza tamen aliquotiēs occiput vertit.

Complē sentiā.

Puer: Salvē mea mātercula.

Puer: mātrem suam _____ iubet.

Puer: Precor vōbīs fēlicem hunc diem, germānuli.

Puer germānīs optat ut hic diēs eīs fēlix _____ (< esse).

Māter: Quid agis? Quōmodō hāc nocte quiēvistī?

Māter puerum interrogat quid _____ et quōmodo hāc nocte _____.

Puer: Rēctē valeō, et placidē dormīvī.

Puer respondit sē rēctē _____, et placidē _____.

Puer: Heus tū, adfer pānis buccēam ūnam aut alteram!

Puer servum iubet buccēam pānis _____.

Puer iubet buccēam pānis _____.

Puer: Vidēbis lūsūs scītissimōs.

Puer servō dīcit eum lūsūs scītissimōs _____.

Pater: Hic tuus Rusciō, estne bēstia an homō?

Pater ex filiō quaerit utrum Rusciō bēstia an homō _____?

Vērumne an falsum sit?

Filius venit neque parentēs salūtāt.

V/F

Filius praeteritā nocte placidē quiēvit.

V/F

Māter filium dē scholā interrogat.

V/F

Filius fatētur sibi crūs laevum māximē dolēre.

V/F

Filius canī partem pānis dare vult.

V/F

Homō ēsse, bibere, dormīre, ambulāre, cursitāre, lūdere potest, bēlua nōn potest.

V/F

Pater dīcit filium hominem fierī posse, sī voluerit.

V/F

Pater filium in lūdum litterārium mittit.

V/F

SVRRECTIO MATVTINA

...

Beat. Propior est merīdiēs quam aurōra. Vīs tū Emmanuel recentem subūculam? (*Subūcula est virīlis camisia.*)

Emm. Nihil nunc est necesse, haec est satis munda, crās sūmam alteram. Cēdō mihi thōrācem.

Beat. Quem? simplum, an diploidem? (*Diplois, de quavis re duplicata dicitur.*)

Emm. Quem volēs, meā nihil refert. Porrige hūc simplum, ut si sim, hodiē lusurus pilā, minus graver.

Beat. Hic est semper tuus mōs: prius dē lūsū cōgitās, quam dē scholā.

Emm. Quid tū dīcis inepta? et schola ipsa vocātur lūdus.

Beat. Ego nōn intelligō vestrās grammaticātiōnēs et sophismata.

Emm. Dā ligulās astrictōriās (*Ligulae astrictōriae, quibus vestīmenta stringuntur.*) coriāceās.

...

Erasmī Roterodāmī COLLOQVIA FAMILIARIA

LIV. Dīlūculum

Persōnae: Nephalius, Philypnus

Ne. Hodiē tē conventum volēbam, Philypne, sed negābāris esse domī.

Ph. Nōn omnīnō mentītī sunt: tibi quidem non eram, sed mihi tum eram māximē.

Ne. Quid istuc aenigmati est?

Ph. Nōstī illud vetus proverbium: *Nōn omnibus dormiō*. Nec tē fugit ille Nāsīcae iocus, cui cum, Ennium familiārem invīsere volentī, ancilla iussū erī negāssset esse domī, sēnsit Nāsīca et discessit. Cēterum ubi vicissim Ennius Nāsīcae domum ingressus rogāret puerum, num esset intus, Nāsīca dē conclāvī clāmāvit, *Nōn*, inquiēns, *sum domī*. Cumque Ennius agnitā vōce dīxisset, *Impudēns, nōn tē loquentem agnōscō? Immō tū*, inquit Nāsīca, *impudentior, quī mihi ipsī fidem non habeās, cum ego crēdiderim ancillae tuae*.

Ne. Erās fortassis occupātor.

Ph. Imō suāviter ōtiōsus.

Ne. Rūrsum aenigmate torquēs.

Ph. Dīcam igitur explānātē, nec aliud dīcam fīcum, quam fīcum.

Ne. Dīc.

Ph. Altum dormiēbam.

Ne. Quid ais? Atquī iam praeterierat octāva, cum sōl hōc mēse surgat ante quārtam.

Ph. Per mē quidem sōlī liberum est vel mediā nocte surgere, modo mihi liceat ad satietātem ūsque dormīre.

Ne. Vērū istuc utrum cāsū accidit, an consuētūdō est?

Ph. Consuētūdō prōrsus.

Ne. Atquī reī nōn bonae consuētūdō pessima est.

Ph. Imō nūllus est somnus suāvior, quam post exortum sōlem.

Ne. Quā tandem hōrā solēs lectum relinquere?

Ph. Inter quārtam et nōnam.

Ne. Satis amplum spatium: vix tot hōrīs cōmuntur rēgīnae. Sed unde vēnistī in istam consuētūdinem?

Ph. Quia solēmus convīvia, lūsūs et iocōs in multam prōferre noctem; id dispendiū mātūtīnō somnō pensāmus.

....

Ne. Praepostera sānē parsimōnia, servāre vitrum, ut perdās gemmās. Aliter sapuit ille Philosophus, quī rogātus, quid esset pretiōsissimum, respondet, *Tempus*. Porro cum cōstet, dīlūculum esse tōtīus diēi partem optimam, tū quod in rē pretiōsissimā pretiōsissimum est, gaudēs perdere.

....

Ph. Sed dulce est dormīre.

Ne. Quid esse potest dulce nihil sentientī?

Ph. Hoc ipsum dulce est, nihil sentīre molestiae.

Ne. Atquī istō nōmine fēlīciōrēs sunt, quī dormiunt in sepulcrīs. Nam dormientī nōnnunquam īnsomnia molesta sunt.

....

Ne. At Platō dīxit, animum hominis hominem esse, corpus nihil aliud esse quam domicilium aut īnstrūmentum. Tū certē fatēbēris, opīnor, animum esse prīncipālem hominis portiōnem, corpus animī ministrum.

Ph. Estō, sī vīs.

Ne. Cum tibi nōllēs ministrum abdōmine tardum, sed agilem māllēs et alacrem, cūr animō parās ministrum ignāvum et obēsūm?

Ph. Vincor vērīs.

Ne. Iam aliud dispendium accipe: ut animus longē praestat corporī, ita fatēris, opēs animī longē praecellere bona corporis.

Ph. Probābile dīcis.

Ne. Sed inter animī bona, prīmās tenet sapientia.

Ph. Fateor.

Ne. Ad hanc parandam nūlla diēi pars ūtilior, quam dīlūculum, cum Sōl novus exoriēns vigōrem et alacritātem adfert rēbus omnibus

Ph. Nōn repugnō.

...

Ne. Expertus sum, in studiīs plūs effīcī ūnā hōrā mātūtīnā, quam tribus pomerīdiānīs; idque nūllō corporis dētrīmentō.

Ph. Audīvī.

Ne. Deinde illud reputā, sī singulōrum diērum iactūrā in summā cōnferās, quantus sit futūrus cumulus.

Ph. Ingēns profectō.

...

Ne. Iam illud expende, quod scrīpsit Platō, *nihil esse pulchrius, nihil amābilius sapientiā: quae sī corporeīs oculīs cernī posset, incredibilēs suī amōrēs excitāret.*

Ph. Atquī illa cernī nōn potest.

Ne. Fateor, corporeīs oculīs. Vērum cernitur oculīs animī, quae pars est hominis pōtior. Et ubi amor est incredibilis, ibi summa voluptās adsit oportet, quotiēs animō cum tālī amīcā concreditur.

Ph. Vērī simile nārrās.

Ne. Ī nunc, et somnum, mortis imāginem, cum hāc voluptāte commūtā, sī vidētur.

Ph. Vērum interim pereunt nocturnī lūsus.

....

Ne. At dīlūculum hoc est diēi, quod adolēscētia vītae. An nōn igitur stultē faciunt, quī adolēscēntiam nūgīs, mātūtīnās hōrās somnō perdunt?

Ph. Sīc appāret.

Ne. An est ūlla possessiō, quae cum hominis vītā sit cōnferenda?

Ph. Nē ūniversa quidem Persārum gaza.

Ne. An nōn vehementer ōdissēs hominem, quī tibi vītā posset ac vellet malis artibus ad annōs aliquot dēcurtāre?

Ph. Illī māllem ipsī vītā ēripere.

Ne. Vērum peiōrēs ac nocentiōrēs arbitror, quī sibi volentēs reddunt vītā breviōrem.

Ph. Fateor, sī quī tālēs reperiantur.

Ne. Reperiantur? Imō id faciunt omnēs tuī similēs.

Ph. Bona verba.

Ne. Optima. Sīc tuō cum animō reputā: nōnne vidētur rēctissimē dīxisse Plīnius, vītā esse vigiliā, et hōc plūribus hōrīs hominem vīvere, quō maiōrem temporis partem impenderit studiīs? Somnus enim mors quaedam est. Unde et ab Īnferīs venīre fingitur, et ab Homērō mortis germānus dictus est. Itaque quōs somnus occupat, nec inter vīvōs, nec inter mortuōs cēnsentur, sed tamen potius inter mortuōs.

Ph. Ita vidētur omnīnō.

....

Ne. Proinde vidētur admodum impudēs eōrum querimōnia, quī nātūrā accūsant, quod hominis vītā tam angustīs spatiīs finierit, cum ipsī ex eō, quod datum est, sibi sponte tantum amputent.

....

Ne. Sī septuāgenārius essēs, nōn retraherem tē ā solitīs; nunc vix decimum septimum, opīnor, annum, ēgressus es. Quid autem est, quod ista aetās nōn possit vincere, sī modo adsit prōmptus animus?

Ph. Equidem aggrediar, cōnāborque ut ex Philypnō fīam Philologus.

Ne. Id sī fēceris, mī Philypne, sat sciō, post paucōs diēs et tibi sēriō grātulāberis, et mihi grātiās agēs, quī monuerim.

COLLOQVIVM XXV (ad *Familiam Rōmānam*)

a. MMX scripsit Leonhardus Rosa Ramos Brasiliānus,
Academīae Vivariī Novī discipulus.

Persōnae: Cornēlius, Fabia, Tlēpolemus

“Ō mī Cornēlī” inquit Fabia, “quam beāta sum quod hāc in domō tēcum et bonō filiō nostrō vīvō, etsī nōn multa habēmus nec peristylum nostrum multīs signīs deōrum ōrnātur, beātissima sum omnium fēminārum quoniam bonum marītum et probissimum filiū habēō”.

“At in domō” ait Cornēlius “quae pulchrā fēminā ōrnātur signa deōrum habēre necesse nōn est”.

Dum coniugēs colloquuntur, aliquis forēs pulsat. Quisnam extrā iānuam exspectat? Ipse Cornēlius forēs aperuit, arbitrātus filiū iam domum rediisse. At ecce, nōn Sextus sed Tlēpolemus ante iānuam stat.

“Quisnam es et quid vīs?” interrogat Cornēlius, quī hoc respōsum audit: “Tlēpolemus est mihi nōmen. Sine mē loquī. Tabellārius sum atque dominō Cornēliō epistulam ferō”.

Postquam haec audīvit, Cornēlius ā tabellāriō litterās accēpit et eum dīmittēns, “Grātiās tibi agō” ait, “nōlī respōsum opperīrī, sed domum redī. Nam ātrae nūbēs caelum operiunt ac mox imber erit. Ego vērō valdē timeō quod filiū meus nōndum ē lūdō revēnit”. Ad hoc respondit Tlēpolemus: “Quamquam servus sum Diodōrī magistrī, dē discipulīs nihil sciō. Valē!”

Haec locūtus, abiit tabellārius. At Cornēlius, quī epistulam accēperat, eum vocāvit: “Revertere, tabellārī!”, atque ūnum nummum eī dat. Dīmisso virō, Cornēlius rūsus domum intrat atque ad uxōrem adit, quae interrogat: “Quisnam iānuam pulsāvit?”

Cornēlius: “Forīs erat tabellārius, sēcum epistulam ferēs”.

Fabia: “At quis ad tē litterās mīsit, Cornēlī? Dīc mihi...”

Cornēlius signum uxōrī ostendēns “Vidē hoc signum” inquit, “Diodōrī est. Profectō Diodōrus hīs litterīs filiū nostrum laudat”. Tum, signō ruptō, verba magistrī legere incipit...

Cornēliū Tacitū AB EXCESSV DIVI AVGVSTI, II. 9-11.

[9] Flūmen Visurgis Rōmānōs Cheruscōsque interfluēbat. eius in rīpā cum cēterīs prīmōribus Arminius adstitit, quaesītōque ‘an Caesar vēnisset’, postquam ‘adesse’ respōsum est, ut ‘liceret cum frātre conloquī’ orāvit. Erat is in exercitū cognōmentō Flāvus, īsignis fide et āmissō per vulnus oculō paucīs ante annīs duce Tiberiō. Tum permissū <imperātoris frāter Arminiū addūcitur> prōgressusque salūtātur ab Arminiō; quī āmōtīs stīpātōribus, ‘t sagittārīī nostrā prō rīpā dispositī abscēderent’ postulat, et postquam dīgressī, ‘unde ea dēfōrmītās ōris?’ interrogat frātre. Illō locum et proelium referente, ‘quodnam praemium recēpisset’ exquirit. Flāvus ‘aucta stipendia, torquem et corōnam aliaque mīlitāria dōna’ memorat, inrīdente Arminiō ‘vīlia servitīī pretia’.

[10] Exim dīversī ordiantur, hic ‘magnitūdinem Rōmānam, opēs Caesaris et victīs gravēs poenās, in dēditiōnem venientī parātam clēmēntiam; neque coniugem et filiū eius hostīliter habērī’: ille ‘fās patriae, libertātem avītā, penetrālēs Germāniae deōs, mātrem precum sociam; ‘nē propinquōrum et adfīnium, dēnique gentis suae dēsertor et prōdītor quam imperātor esse māllet’. Paulātim inde ad iurgia prōlāpsī quōminus pugnam cōnsererent nē flūmine quidem interiectō cohibēbantur, nī Stertinius adcurrēns plēnum īrae armaque et equum poscentem Flāvum attinisset. cernēbātur contrā minitābundus Arminius ‘proelium’que dēnūntiāns; nam plēraque Latīnō sermōne interiāciēbat, ut quī Rōmānīs in castrīs ductor populārium meruisset.

[11] Posterō diē Germānōrum aciēs trāns Visurgim stetit.

Colloquiorum scholasticorum scriptores

– videatur <http://www.stoa.org/colloquia/>

Maturinus Corderius (Francogallice *Mathurin Cordier*) (1479–1564) magister linguae Latinae Francogallus; natus in Normannia, in arte docendi mirum in modum excelluit. Ipse Lutetiae Parisiorum, ubi etiam Ioannem Calvinum docuit, munere magistri functus Genavam migravit, ubi anno 1564 e vita discessit. Libros nonnullos pueris docendis scripsit, quorum praeclari sunt illi Colloquiorum scholasticorum libri quatuor; qui liber longe lateque divulgatus est atque magistri eis multos per annos utebantur.

Desiderius Erasmus Roterodamus (Batavice: *Gerrit Gerritszoon*, Roterodami 27 vel 28 Octobris 1469–Basiliae 12 Iulii 1536), clarissimus utriusque linguae magister necnon theologus atque ecclesiae melioris reddendae, non autem dividendae maximopere studiosus qui ob ingenium ac merita sua “humanistarum princeps” appellatur. Iuvenis ad sacram familiam sancti Augustini adscriptus, ibidem sacerdos factus episcopum Cameracensem secutus est; dein Lutetiae Parisiorum studuit, totam Europam ad occidentem solem et meridiem vergentem peragravit. Multa profecto scripsit opera quae et ad linguam Latinam tradendam excolendamque et mores ecclesiae hominumque, qui tunc fuerunt, emendandos spectant; insuper etiam multa antiquorum opera commentariis instructa, imprimis vestigia Laurentii Vallae secutus Novum Testamentum Graece et Latine edendum curavit. Ipse denique reformator ecclesiae habetur fuisse qui autem vitia ecclesiae reprehendens, attamen eam ipsam dividere nolens tunc temporis neque multis Protestantibus neque Catholicis gratus erat. Itaque paulo ante mortem Basiliam, ubi apud amicum et typographum Ioannem Frobenium versabatur, postquam urbs protestantibus se adiunxit, reliquit, Friburgum Brisgoviae migravit. Ibi anno 1536 mortuus, Basiliae in ecclesia cathedrali sepultus est.

Ioannes Ludovicus Vives (Hispanice *Joan Lluís Vives i March*, Valentiae 1492 – Brugis 1540), praeclarus linguae Latinae magister humanitatisque

necnon philosophiae studiosus e Valentia oriundus; qui, cum fere omnes familiares praeter matrem in carceres Inquisitionis Hispanicae detrusi atque morte multati essent, mater ipsa peste correpta morti occubisset, adhuc iuvenis patriam deseruit neque umquam illuc revertit; ipse deinde Lutetiae Parisiorum lauream adeptus primum Lovanii in universitate docuit ubi, Erasmo Roterodamo suadente, sancti Augustini opus *De civitate Dei* commentariis instruxit et publici iuris faciendum curavit. Insequentibus annis primum Oxoniae, deinde Brugis philosophiam docuit, plurimos libros de ratione studiorum, philosophia, theologia, lingua Latina discipulis tradenda conscripsit; quorum in numero praeter multa alia etiam *Exercitationes linguae Latinae* et libellus *De causis corruptarum artium* magni habentur (et quidem sunt) momenti.

Iacobus Pontanus (Germanice *Jakob Spanmüller*, 1542–1626), magister linguae Latinae e Bohemia septentrionali oriundus, Brixiae sive Ponte natus, in Academia Societatis Iesu Pragensi lauream adeptus; quam Societatem ibidem ingressus Ingolstadium et Augustam Vindelicorum in Bavaria petivit, ubi in arte grammatica, poetica necnon rhetorica maxime excelluit. Plurimos libros de arte Latine scribendi necnon versus fundendi conscripsit; ipse denique ad eloquentiam discipulorum meliorem reddendam *Progymnasmata Latinitatis* composuit.

Franciscus Cervantes de Salazar (1514–1575), *Ad Exercitia Linguae Latinae Dialogi*

Sebastianus Castalio (1515–1563), *Dialogorum Sacrorum Libri Quatuor*

Laurentius Corvinus (ca. 1465–1527), *Latinum Ydeoma*

Martinus Duncanus (1505–1590), *Praetextata Latine Loquendi Ratio*

Ioannes Fontanus (1545–1615), *Hortulus puerorum pergratus ac perutilis Latine discentibus*

Petrus Mosellanus (1493–1524), *Paedologia*

Beraldis Nicolaus (1473–1550), *Dialogus quo rationes quaedam explicantur quibus dicendi ex tempore facultas parari possit*

Petrus Popo, *Colloquia de Scholis Herbipolensibus*

Index

N. paginae	Titulus	Unde expromptum sit / Quis commentariis instruxerit.
2.	<i>Interpretamenta Pseudo-Dositheana</i>	Expromptum ex Bibliotheca Augustana http://www.hs-augsburg.de/~harsch/augustana.html
2.-3.	<i>Interpretamenta Pseudo-Dositheana</i>	Expromptum ex libro Iohannis H. Ørberg cui titulus <i>Sermones Romani</i> ; aptatum ad usum eorum qui perfecerunt volumen c.n. <i>Familia Romana</i> .
4.	Maturini Corderii <i>Colloquia scholastica</i>	Expromptum ex sede retiali: http://www.stoa.org/colloquia/ , comm. Aloisius Miraglia ex Academia <i>Vivarii Novi: Nova via Latine doceo</i> ; aptatum ad usum discipulorum qui perfecerunt volumen c.n. <i>Familia Romana</i> .
4.	Iacobi Pontani SJ <i>Progymnasmata Latinitatis cum adnotationibus litterariis (Euntes in ludum)</i>	Expromptum ex sede retiali: http://www.stoa.org/colloquia/
5.	Erasmi Roterodami <i>Colloquia familiaria (Percontandi forma, Colloquium profanum)</i>	Expromptum ex sede retiali: http://www.stoa.org/colloquia/ , comm. Georgius A. Čepelák et Aloisius Miraglia ex Academia <i>Vivarii Novi: Nova via Latine doceo</i> ; aptatum ad usum discipulorum qui perfecerunt volumen c.n. <i>Familia Romana</i> .
6.	M. T. Ciceronis 'Domi non sum'	Expromptum ex libro Iohannis H. Ørberg cui titulus <i>Sermones Romani</i> ; aptatum ad usum discipulorum qui perfecerunt volumen c.n. <i>Familia Romana</i> .
6.-8.	Erasmi Roterodami <i>Colloquia familiaria (Domestica confabulatio)</i>	Expromptum ex sede retiali: http://www.stoa.org/colloquia/ , comm. et exercitia Georgius A. Čepelák ex Academia <i>Vivarii Novi</i> ; aptatum ad usum discipulorum qui perfecerunt volumen c.n. <i>Familia Romana</i> ..
9.-10.	Ioannis Fontani <i>Hortulus puerorum (De lusu Monopodii)</i>	Expromptum ex sede retiali: http://www.stoa.org/colloquia/ , comm. et exercitia Ignatius Armella Chávez ex Academia <i>Vivarii Novi</i> ; aptatum ad usum discipulorum qui perfecerunt volumen c.n. <i>Familia Romana</i> ..
11.-12.	Ioannis Ludovici Vivis <i>Exercitationes linguae Latinae (Prima salutatio, Salutatio matutina)</i>	Expromptum ex sede retiali: http://www.stoa.org/colloquia/ , comm. et exercitia Georgius A. Čepelák ex Academia <i>Vivarii Novi</i> ; aptatum ad usum discipulorum qui perfecerunt volumen c.n. <i>Familia Romana</i> ..
13.-14.	Erasmi Roterodami <i>Colloquia familiaria (Diluculum)</i>	Expromptum ex sede retiali: http://www.stoa.org/colloquia/ .
15.	COLLOQVIVM XXV (ad cap. XXV Familiae Romānae)	a. MMX mense Februario scrīpsit Leonhardus Rosa Ramos Brasiliānus, Academiae <i>Vivarii Novi</i> discipulus.
15.	Cornelii Taciti <i>Ab excessu divi Augusti</i> II. 9-11.	
16.	Colloquiorum scholasticorum scriptores	